



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

32. Fvrius plura committens furta parua pro varietate casûs variè peccat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Frobeniū indebito modo sibi polliceri gratiā & peccatorum veniam, cū præcisè animum suum malè dispositum prodat.

XXXII. *Furius famulus furto sublegit Domino suo alium nummum ex alio, donec tandem ad eam quantitatem pervenit, quæ sufficeret ad peccatum mortale constituendum, cuius post medium ferè annum pœnitens confiterur id furtum suum. Queritur. An, & quando peccaverit mortaliter?*

Videtur nunquam peccasse mortaliter, Tum quia singula furta sunt levia. Tum quia aliàs ex multis venialibus conflaretur vnum mortale contra communem Theol. Casus iste diversimodè accidere potest, pro cuius igitur varietate.

Resp. I. Si Furius furari cepit animo perveniendi ad magnam quantitatem, statim ab initio eum peccasse mortaliter. Card. de Lugo *de Iust. D. 16. n. 56.* quia voluntas illa prima ferebatur in obiectum graue. II. Si eo, quem diximus, animo furari perrexerit, singulis ipsum furtis minutis peccasse mortaliter; quæ aut vnum peccatum mortale integrant, Si nim. moraliter non fuerint interrupta: aut plura etiam numero constituunt, si moraliter sint discontinuata. Less. *L. 2. de Iust. cap. 12. d. 7.* nam licet executio singulorum sit tantum venialis ex se, vt tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis, aut
repetita

repetita ad repetitam intentionem, postquam moraliter iam desierat. III. Si nunquam intenderit, nec aduerterit ad grauem materiam, nunquam eum peccasse mortaliter, sed semper uenialiter. Ita communis DD. quia illa furta tunc semper manent inter se disparata. IV. Si Furius non quidem intenderit materiam grauem auferre, aduertit tamen se ad eam ultimo suo furto iam pertinere, tunc teneri ipsum sub mortali restituere materiam illam. Sanchez *L. 7. c. 21. n. 3.* quia retinere alienum in materia graui, semper est græua item peccasse eundem mortaliter per ultimum furtum in se alioqui minutum. Palao. *Tom. 1. Tr. 2. D. pun. 9. S. 4. n. 4.* quia per illud completur acceptio integra in ratione acceptio- nis grauis. V. Si aduerterit, se peruenire ad quantitatem grauem, & proposuerit priora furta statim restituere, non peccasse eum mortaliter, ultimum accipiendo. Granad. *1. 2. T. 2. de peccat. D. 2. n. 51.* quia breuis illa detentio nihil aut parum obest. VI. Si priora furta non potuerit restituere amplius, addiderit tamen adhuc leue, per quod venit ad materiam grauem, peccasse eum mortaliter. Ita probabilius Lugo. *loc. cit. num. 39.* contra Less. Granad. & alios. Quia peccatum mortale æstimandum est ex damno proximi, non ex commodo furis; in proposito autem, siue possit, siue nõ possit famulus restituere, patitur

dominus per ultimum eius furtū graue damnum, quod hactenus non patiebatur. VII. Si denique Furius post ablatam materiam grauem insuper furatus fuerit leuem, non fecisse eum novum peccatum siue mortale siue veniale, sed prius reddidisse grauius. Ita recens cit. Auth. n. 44. contra Dicastillum, Sanch. Bonac. Filliut. & alios, quia peccatum illud pro obiecto habet tam priorem summam, quàm novam materiam ablatam, quæ coalescunt in vnum damnum.

Ad primum in contrarium dicimus, singula quidem distributivè esse leuia, non tamen copulativè seu coniunctim. Ad secundum negamus, ex venialibus fieri mortale, cum ipsa nõ uniantur inter se, sed solum eorum ablatio, ratione cuius acceptio ultima est determinatio ad rem gravem. Arriag. D. 48. de peccat. num. 24.

XXXIII. Gildradus Presbyter in colloquio cum alijs, dicit Gilbertum, cui est à confessione, esse virum scrupulosum, ceterà bonum. Queritur. An violet sigillum?

Affirmant Coninck, Granad. Tamburin. opusc. de confess in append. cap. 3. n. 17. & alij. Negant Marchant. Martin. à S. Iosepho, & alij quos refert & sequitur Diana. P. 10. Tr. 12. R. 24.

Resp. Distinguendo cum Card. de Lugo Tom. de Pœnit. D. 23. n. 6. Gildradum violare, sigillum